Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1057
Quelle:
Copyright:

nis primus oſtendit *Theoph. Raynaudus* in edit. Opp. *Anſelmi Lugd.* 1630. f. Ita et in *Gerberoniana* locum ultimum tenet.

Fol. 134. p. 2. *Incipit diſputatio pro inſipiente.* Eſt *Gaunilonis* cujusdam *Majoris* — *Monaſterii* Monachi adverſus ratiocinationem *Anſelmi* in *Proslogio* et incipit: *Dubitanti utrum ſit uel neganti quod ſit talis aliqua natura* &c. Finis: *omnia cum ingenti veneratione et laude ſuſcipienda.* Edit. p. 35.

Fol. 136. *Incipit liber anſelmi archiepiſcopi et abbatis contra* (Gaunilonem) *reſpondentem pro inſipiente. Quoniam non me reprehendit in hijs dictis* &c. Finis: *beneuolentia non maleuolentia reprehendiſti.* Edit. p. 37.

Fol. 138. Septem ex *Anſelmi Epiſtolis.* Prima *Goffredo* epiſcopo *Pariſienſi: Quamuis diuina diſpoſitio ualde longe a reuerentia ueſtra meam ſeparet paruitatem* &c. In Edit. L. III. ep. 12. Secunda cuidam *Abbatiſſae* et ejus Congregationi. *Quamuis ueſtrum ſanctum ſtudium mea monitione non egeat* &c. In Edit. L. IV. ep. 105. Tertia *Leutoni* (Gerb. *Lanzoni*) amico. *Cum meum et tuum kariſſime deſiderium* &c. In Edit. L. I. ep. 29. Quarta *Fulconi* epiſcopo beluacenſi. *Scio mi dulcis amice, quantum dilectio ueſtra* &c. In Edit. L. III. ep. 11. Quinta *Waleriano nuenburgi* (Gerb. *Waleranno Newemburgenſi*) epiſcopo. *Scienti breviter loquor. Si certus eſſem* &c. In Edit. inſcribitur *de Tribus Waleranni Quaeſtionibus* et habetur inter opuſcula p. 135. Sexta eidem *Waleriano nuenburgenſi. Gaudeo et gratias ago deo, quia ſicut ſcribitis* &c. In Edit. audit *ad Waleranni querelas Reſponſio* p. 139. Ultima *Odoni* et *Lanzoni* amicis. *Quoniam uerus amor ſicut laudabiliter impenditur* &c. In Edit. L. I. ep. 2.

Plurimis horum *Anſelmi* Opuſculorum praefixa ſunt *Summaria*, impenſumque eſt a coaeva manu paſſim in margine emendationis et ſuppletionis officium, ut adeo bonae notae haberi poſſit Codex.

II. *fol.* 145. Sequuntur ſacra Opuſcula *An. Manl. Torq. Sev. Boethii* Viri conſularis et Patricii a *Theodorico* Rege, ut notum, a. 525 aut 26. interfecti, et quidem hoc ordine: *Prologus boecij de trinitate.* Initium: *Inueſtigatam diutiſſime queſtionem* &c. Opuſculi ipſius: *Chriſtiane religionis reuerenciam* &c. Finis: *quantum imbecillitas ſubtrahit, uota ſupplebunt.* In editis inſcribitur: *Quomodo Trinitas eſt unus Deus, et non tres Dii. Ad Q. Aurel. Memmium Symmachum* ſocerum.

Fol. 147. p. 2. *Rubrica. Que ſecundum ſubſtantiam et que ſolum ad aliquid de deo dicantur.* Initium: *Quero an pater et filius et ſpiritus ſanctus* &c. Finis: *et fidem ſi poteris rationemque coniunge.* In edit. *Utrum Pater ac Filius et Spiritus ſanctus de Divinitate ſubſtantialiter prædicentur. Ad Joannem Eccleſiae Romanae Diaconum.*